OCTOBER — DECEMBER



ANNUS I 1938 Num. 4.

Acta SS. Congregationum

Sacra Congregatio Rituum

Sacra Rituum Congregatio sequentes variationes in rubricis Breviarii et Missalis Romani faciendas esse decrevit:

I-IN BREVIARIO ROMANO

1. In initio, post verba: *Ordinarium Divini Officii iuxta Ritum Romanum persolvendi*, ponatur haec rubrica:

Clericis in sacris constitutis, qui integrum divinum Officium, quamvis in partes distributum, coram Ssmo Sacramento, sive publicae adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, devote recitaverint, conceditur: Indulgentia plenaria, si praeterea sacramentalem confessionem instituerint, ad eucharisticum Convivium accesserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint. Pius Pp. XI, 23 Octobris 1930.

Iis, vero, qui divinum Officium coram Ssmo Sacramento, ut supra, ex parte tantum recitaverint, conceditur: Indulgentia quingentorum dierum pro unaquaque hora canonica.

Iisdem autem clericis, qui divinum Officium in alias preces commutatum rite obtinuerint, si preces eiusmodi coram Ssmo Sacramento, uti supra, devote recitaverint, conceditur: Indulgentia plenaria, additis sacramentali confessione, sacra Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis.

2. In eodem Ordinario, rubrica praemissa Orationi *Aperi Domine*, mutetur in aliam:

Antequam inchoëtur Officium laudabiliter dicitur, sub singulari semper numero, sequens Oratio; pro qua Summus Pontifex Pius Pp. XI sub die 17 Novembris 1933 Indulgentiam trium annorum concessit.

3. Item in eodem Ordinario rubrica Orationi *Sacrosanctae* praeposita, mutetur in aliam.

Cum expletum fuerit Officium, laudabiliter dicitur sequens Oratio; pro qua Summus Pontifex Pius Papa XI sub die 1 Decembris 1933 indulgentiam trium annorum concessit. Praeterea Clericis in sacris constitutis et Sacerdotibus eam devote post Officium recitantibus Summus Pontifex Leo X defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas, indulsit. Dicitur autem flexis semper genibus in privata etiam recitatione, praeter quam ab iis, qui ob certam infirmitatem vel gravioris impedimenti causam nequeant genuflectere.

II-IN MISSALI ROMANO

Rubricae de indulgentiis appositis ad Orationes pro opportunitate dicendas ante Missae celebrationem reformentur ut sequitur:

1. Ante antiphonam *Ne reminiscaris:*

Quilibet Sacerdos, ex concessione Pii Pp. XI, sub die 3 Octobris 1936. lucrari potest: Indulgentiam quinque annorum, si ante Missae celebrationem, recitet Psalmos 83, 84, 85, 115 et 129 cum adnexa antiphona, versiculis et Oremus ut infra; plenariam, si per integrum mensem praedictas preces quotidie recitaverit, additis confessione sacramentali et oratione ad Summi Pontificis mentem.

2. Post inscriptionem *Oratio S. Ambrosii Episcopi* et ante verba *Die Dominica* inseratur rubrica:

Indulgentia trium annorum pro qualibet ex sequentibus orationibus S. Ambrosii si in die assignata recitetur.

3. Ante aliam orationem S. Ambrosii *Ad mensam* reformetur rubrica: Indulgentia trium annorum.

4. Ante orationem S. Thomae *Omnipotens sempiterne Deus* sic reformetur rubrica:

Indulgentia trium annorum; plenaria, dummodo quotidiana orationis recitatio in integrum mensem producta fuerit et praeterea sacramentalis confessio, alicuius ecclesiae vel publici oratorii visitatio et ad mentem Summi Pontificis preces additae fuerint.

5. Ante orationem ad B. Mariam V. *O Mater pietatis ita mutetur rubrica:*

Indulgentia trium annorum.

6. Ante orationem ad S. Ioseph *O felicem virum* mutetur rubrica ut infra:

Indulgentia trium annorum.

7. Ante orationem ad omnes Angelos et Sanctos *Angeli, Archangeli* sic mutetur rubrica:

„Indulgentia trium annorum.

8. Ante orationem ad Sanctum, *O Sancte N.*, in cuius honorem Missa celebratur, mutetur rubrica:

Indulgentia trium annorum.

9. Ad declarationem intentionis ante Missam *Ego volo* ponatur rubrica:

Indulgentia quingentorum dierum.

Rubricae de indulgentiis appositis ad Orationes post Missae celebrationem vel recitandas iuxta *Ritum serv. in celebr. Missae* (tit. XII, n. 6) vel pro opportunitate dicendas, reformentur ut sequitur:

1. Ante antiphonam *Trium puerorum* mutetur rubrica:

Quilibet Sacerdos, ex concessione Pii XI sub die 3 Octobris 1936, lucrari potest: Indulgentiam quinque annorum, si post Missam celebratam, recitet Canticum Trium puerorum et Psalmum 150 cum adnexa antiphona, versiculis et *Oremus* ut infra; plenariam, si per integrum mensem praedictas preces recitaverit, accedente sacramentali confessione et oratione ad mentem Summi Pontificis.

2. Ante orationem S. Thomae *Gratias tibi ago* inseratur rubrica:

Indulgentia trium annorum; plenaria, oratione quotidie in integrum mensem pie reiterata et additis sacramentali confessione, alicuius ecclesiae vel publici oratorii visitatione et precibus ad Summi Pontificis mentem.

3. Ante orationem S. Bonaventurae *Transfige* inseratur rubrica:

Indulgentia trium annorum.

4. Ante rhythmum S. Thomae *Adoro te devote* mutetur rubrica:

Indulgentia quinque annorum; plenaria suetis conditionibus, quotidiana rhythmi recitatione in integrum mensem producta.

5. Ante aspirationes *Anima Christi* reformetur rubrica:

Indulgentia septem annorum, si Sacerdos post Missam invocationes pie recitaverit; trecentorum dierum toties quoties; plenaria suetis conditionibus, dummodo quotidie per integrum mensem invocationum recitatio devote peracta fuerit. Pius Pp. IX, 9 Ianuarii 1854.

6. Ad oblationem sui *Suscipe, Domine* reformetur rubrica:

„Indulgentia trium annorum; plenaria suetis conditionibus, si quotidie per integrum mensem actus oblationis devote recitatus fuerit. Pius Pp. XI, 4 Decemberis 1932.

7. Ante orationem ad D. N. I. C. Crucifixsum *En ego* mutetur rubrica:

Indulgentia decem annorum; plenaria recitantibus post Missam et orantibus ad mentem Summi Pontificis.

8. Ad aliam orationem *Obsecro te* sic reformetur rubrica:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. IX, 11 Decembris 1846. Insuper hanc orationem recitanti flexis genibus, nisi impediatur, conceditur remissio defectuum et culparum in celebratione Missae ex humana fragilitate contractarum. Pius Pp. X, 29 Augusti 1912.

9. Ad orationem ad B. Mariam V. *O Maria, Virgo et Mater*, reformetur rubrica:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octorbris 1936.

10. Ante orationem ad S. Ioseph *Virginum custos* ponatur rubrica:

Indulgentia trium annorum; plenaria suetis conditionibus, oratione quotidie per integrum mensem pia mente iterata. Pius Pp. XI, 18 Maii 1936.

11. Ante orationem ad Sanctum, *Sancte N.*, in cuius honorem Missa celebrata est, reformetur rubrica:

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

Suprema S. Congregatio S. Officii

Decreta.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii Emi ac Revmi Domini Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros Afridi Loisy ab anno 1932 editos, qui sequuntur:

La religion d'Israel, troisième édition;
La naissance du christianisme;
Le Mandéisme et les origines chrétennes;
Y a-t-il deux sources de la Religion et de la Morale?
Remarques sur la littérature épistolaire du Nouveau Testament;
Les origines du Nouveau Testament;
Georges Tyrrell et Henri Brémond;
La crise morale du temps présent et l'education humaine.

—et libros ab Aloisa Piccareta conscriptos et aliorum cura variis in locis pluries editos:

1. *L'Orologio della Passione di Nostro Signor Gesù Cristo, con un Trattato sulla Divina Volontà;*
2. *Nel Regno della Divina Volontà;*
3. *La Regina del Cielo nel Regno della Divina Volontá.*

(Ex Actis Ap. Sedis, num. 9, 10, 11, 1938a.).

Die festo Nativitatis Domini brevi adveniente nostris amicissimis Lectoribus omnia fausta et felicissima per Immaculatam a Jesu Infante optamus

Directio Militis Immaculatae.

„Albis scalis" — ad Jesum

Theocentrismum semper esse principium omnium actionum vitae nostrae religiosae clare patet; veruntamen extensio eius non eadem semper fuit. Florebat quidem medio aevo vita vere secundum proposita catholicae religionis, non tantum in modo agendi singulorum, sed etiam domi et foris. Posterioribus vero saeculis systema hoc theocentrismi fatali succubuit coarctationi. Deus enim intra coelos tangentium tenebrosis gothicorum templorum spatia veluti clausus est, et qui eum quaerebant tantummodo ibi eum invenire potuerunt. Foris et domi homo se ipsum fini habuit.

Tunc demum institutio praeclarissimae memoriae solemnitatis Jesu Christi Regis systema medii aevi in memoriam nobis revocavit; ex tunc plus in mentibus et in vita nostra dominatur idea illa celsissima: Deus finis et centrum rerum nostrarum agendarum tum in vita singulorum, tum intra familiarum septa atque in navi politicae vitae magis ac magis habetur.

Idea theocentrissimi in hunc modum praeconcepti de die in diem magis nobis necessaria nec non utilis evadit. „Tunc denique cum in regno animae Christus rex declaretur, veritas non ut tremens vetula, sed ut Regina in conspectu omnium apparebit; non ut ea, quae toleratur, atque praescriptis constitutionum cum falsa idea adequatur, sed ut domina sine alio regnatura; non ut infirmum ratio-

nis propriae vel sentimenti phantasma sed ut regula et norma omnes obligans et imperatrix hominibus dominans".*

Hanc spem omnes catholicos, praesertim nos, qui vices Christi in hac terra gerimus fovere, evidens est. Necessitas tamen postulat ut viam optimam populo indicemus, ut theocentrismus sit finis nostrarum actionum. Haec via quae ad Deum nos ducit Immaculata est Virgo, quam in visione sanctus Franciscus in acumine scalarum coelos tangentium stantem aspexit. Haecce est de qua b. Ludovicus M. Grignon demonstrat: „Mariam adhuc non cognovimus, qua de causa etiam Christum, ut oportet, nescimus. Si tamen — quod nihilominus fieri debet — Christus cognoscetur Eiusque regnum super mundum adveniet — hoc solummodo effectus erit cognitionis Mariae atque Eius super nos regni; Maria enim quae Jesum pro salute mundi prima vice parturiit, nunc ad Jesum clare cognoscendum aptos nos reddit".

Etsi dicendo de theocentrismo nullo modo Immaculatam mente comprehendamus B. Virgo tamen dici potest radius qui e divinitate emittitur, quique nos ad Deum ducit et cum Eo coniungit.

Forma theocentrismi nulibi tam expresse apparet quam Lapurdi.

Ibi enim omnes religionis causa peregrinantes, qui Rosarium B. M. Virginis devote recitant, viso Jesu sub speciebus panis, obliviscuntur veluti suae Matris, ut gratias Christo agant, ut orent, dulcesque hymnos ad Eius laudem cantent.

Omnes nostrae curae deditos adhortare debemus, ut „albis scalis" perfectae devotionis marianae per Immaculatam ad Jesum ascendant. Haec est idea multarum congregationum, sodalitatum, quae patrotinio B. Virginis in regno Christi adlaborant. En idea etiam Piae Unionis, cui nomen: Militia Immaculatae.

MILITIA IMMACULATAE (M. I.)

I — Finis: Quaerere conversionem peccatorum, haereticorum, schismaticorum, iudaeorum etc. et praesertim massonum et sanctificationem omnium, sub patrocinio B. M. V. Immaculatae Eaque mediante.

II — Conditiones: 1) Totalis suimetipsius B. M. V. Immaculatae oblatio, tamquam instrumenti in immaculatis Eius manibus. 2) Gestare „Numisma Miraculosum".

III — Media: 1) In quantum fieri potest, saltem semel quotidie Immaculatam iaculatoria oratiuncula: „O Maria sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad Te recurrimus et pro omnibus, qui ad Te non recurrunt et praesertim pro massonibus", exorare.

2) Zelo et prudentiae singulorum relinquitur, ut unusquisque secundum conditiones status et temporis promoveat finis assecutionem; praesertim vero commendatur „Numisma Miraculosum".

N. B. 1) Media (sub nr. III) habent solum vim consilii; solo amore sine limite erga Sacratissimum Cor Jesu, ut Ei quam plurimas animas quam strictissime per Immaculatam uniamus, moveamur.

ACTUS CONSECRATIONIS B. M. VIRGINIS IMMACULATAE.

O Immaculata coeli et terrae Regina, Refugium peccatorum et Mater nostra dilectissima, Tu cui Deus totum ordinem misericordiae committere voluit, ego N.N. indignus peccator ad pedes Tuos me provolvo suppliciter petens, ut me totum et totaliter tamquam rem et proprietatem Tuam assumere, et secundum tuam volun-

*) Robert Mäder — Christus der grosse Monarch.

tatem cum omnibus facultatibus animae et corporis, cum tota vita, morte et aeternitate mea, disponere digneris. Utaris etiam, si hoc Tibi placet, me totum et totaliter ad hoc quod de Te dictum est „Ipsa conteret caput tuum" et „Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo" exequendum, ut in Tua Immaculata et miserecordissima manu aptum sim instrumentum ad gloriam Tuam in tot deviatis et tepidis animis introducendam et quam maxime augmentandam et ita dulcissimum Regnum SS-mi. Cordis Jesu quam maxime extendendum, ubi enim Tu intras ibi gratiam conversionis et sanctificationis impetras; per Tuas enim manus omnes ad nos gratiae ex Corde SS.-mo Jesu perveniunt.

Dignare me laudare Te, Virgo Sacrata
Da mihi virtutem contra hostes Tuos.

Immaculata et iuventus.

„Catholica fide tenendum est, Beatam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singularii Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu. Salvatoris humani generis ab omni originali culpae labe praeservatam, immunem" — En verba definitionis dogmatis ex Pii IX bulla „Ineffabilis Deus".

Argumentum habes ex Gen. 3, 15: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. Argumentum uberius illustratur triplici respectu Beatae Virginis: 1) ad Evam oppositionis relatione. Cum Eva maledicto subiicitur (Gen. 3. 16) „benedicta in mulieribus" Maria ab Angelo salutatur (Luc. 1, 28), 2) Concausae relatione cum Christo in reparationis opere — et quidem verae concausae etsi secundum analogiam, et per redundantiam ex filio in matrem. 3) Habitus maternitatis in ordine salutis respectu totius generis humani redempti. Ipsa maternitatis habitum induit erga omnes fideles Christi et quidem: titulo cognationis cum Christo, titulo cooperationis ad nostram reparationem, qua facti sumus filii Dei, titulo amoris et sollicitudinis de nostra salute, titulo hereditatis cum in persona Joannis Christus in cruce moriens, nos in filios ipsi assignaverit. S. Thomas subducit adhuc titulum consensus qui pendebat a Virgine Maria quod generis humani redemptionem. Atqui his triplex habitus ostendit B. Virginem Mariam ab Evae lapsu fuisse immunem seu sine peccato originali conceptam propter eius arctissimam cum Filio coniunctionem.

Praesertim propter eximiam hanc eoniunctionem, et praeprimis propter Beatae Virginis maternitatem Maria fuit gratia plena. Quae in laudem sponsae in Cantico dicuntur, omnia haec, S. Ecclesia Mariae — Sponsae Dei Immaculatae et Matri applicat. In Ea haec omnia verificantur: Tota pulchra es et macula non est in te. Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias. Quae vero de Sapientia Divina praedicantur in Sacra Scriptura ad B. Virginis summam puritatem, familiaritate mcum Deo referri possunto. His Traditio innixa B. Mariam Virginem immunem fuisse a quovis peccato actuali etiam veniali, quod Tridentinum in sess. ben. 23 declaravit. Immaculatam esse Virginem ante, in et post Nativitátem Christi, profitetur tota Ecclesia, necnon eam esse Mediatricem omnis gratiae in ordine Sapientissimae Divinae Providentiae.

Coram Immaculatam, ergo a labe originali immunem et gratiae plenam, dein Castissimam Virginem Matrem atque omnis gratiae Christi Dispensatricem statuitur juventus Christiana.

Psychologice et ex rationibus dogmaticis specialem influxum in eam exerceri posse affirmatur. Et quidem Maria est ideale tam puritatis corporis quam cordis, et hoc ethice et ontice.

Unum et alterum luce clarius est. Ethice, ut castissima sine ulla labe tam naturali quam actuali, personali — Virgo Virginum. Ontice i. e. propter statum animae in gratia, ob eius summam plenitudinem. Tale vivens ideale obiicitur oculis iuvenum natura idealistarum. Poteste sine influxu in eorum anima manere? Ergo Maria Immaculata 1° est... imago vivens, quae imitari potest et quidem 2° talis, imago.

Haec ex parte huius idealis, — B. Mariae Virginis.

Quid ex parte ipsius naturae iuvenum? Nonne desideratur ab ea talis imitandi scopus — et hoc etiam non raro apud iuventutem passionibus impuris constrictam? Iuvenis bene in religione educatus apud Immaculatam invenit vim caste vivendi. Positiva imitatio Mariae parit similitudinem cum Maria.

Quale nam medicamentum pro debili voluntate iuvenum, qualis iubilatio, gaudium, hoc ideale esse Matrem — utique Matrem optimam in ordine salutis, matrem esse sollicitam de omnibus Christi eius Filii fidelibus ac prasertim plus indigentibus ut est iuventus passionibus agitata praesertim? Maria est mater pulchrae dilectionis. Maria qua optima mater amat pueros ideoque vult eos iuvare. Plus adhuc, qua Divinae voluntate providentiae Mediatrix omnium gratiarum et dispensatrix potest iuvare. Maria, ut ita dicam, est omnipotens genibus flexa. Cum mediatio sanctorum multum valet, mediationem B. V. Mariae excellere quorumque sanctorum mediationem, quisnam dubitat? Praestantia mediationis proportione respondet tum sanctitati, tum gradui familiaritatis cum Deo. Atqui Deipara omnium linguis praedicatur summa post Deum, superaxaltata super choros angelorum. Proinde Eius Mediationem et universalitate et efficacia praeeminere, nec probandum est.

Immaculata exhibetur ab omnibus, imo, ab incunabulis Ecclesiae tanquam lucidissimum exemplar, lux et via omnium et iuvenum. Speciatim Eam destinatam esse et exemplar feminei sexus et praesertim Virginum, patet.

Quam autem efficax fuerit quovis saeculo Mariae exemplum, testatur luculenter Ecclesiae historía. Quot enim ipsa suo exemplo traxit ad cavenda impuritatis peccata, servandam castitatem, virginitatemque vovendam — atque proptera ad angelicam profitendam vitam? Et quid in iuventutis animis perfecit per intercessionem suam potentissimam?

Sint exempla liliorum in terris angelicae virtutis et fortis animae. Sit hic „puer gratiae“ cum sua vitali invocatione „ad maiora natus sum“, qui potest iure vocari filius Mariae Immaculatae. „Cur non amen Mariam, quae Mater mea optima est“ Quid dicendum de „Flore Carmeli“, quae ad eius congregationem pertinebat et sic per Immaculatam virtuti angelicae studuerit. Quid de filio regis Poloniae Casimiro, quid de magno numero ex congregationibus et ex militia Mariae. Et habes hic iuventutem academicam Poloniae cum eorum votis in Częstochowa, et hic sunt, leones Alcasari“, hic Frassati in Italia, hic perplures ignoti filii Mariae eiusque filiae.

Ideoque pulchra potest esse imago. En mater et filius. Fili mi, quam similis es adhuc, etsi iam senior. Mater, ego sum Tuum exemplar. Ego sum talis, quia tu es causa mea-meae pulchritudinis et fortitudinis. Dicamus iam necesse: Maria, sim purus toto corde et animo, sim castus, atque Virgo, sim filius dilectionis Divinae per gratiam, quia. Tu es Immaculata, plena gratiae, Virgo virginum et Mater mea, fortis coram Deo atque potens.

Frat.

Vota iuvenum Polonorum

Coram B. M. V. Claromontanam emissa

Quem influxum exerceat Immaculata Virgo in animos iuvenum, ex iis quae ultimis temporibus in Polonia acciderunt optime cognosci potest. Catholici enim Poloni iuvenes, quibus haud ignara sunt verba vicinorum in Russia communistarum blande iuvenilem animum ad prorsus inutilia atrahentia, utpote quae in rerum ordine fictarum inveniuntur, suam catholicam missionem intellexerunt.

Polonia semper fidelis. Quae verba clare ostendunt. Poloniam fidei catholicae in finibus ad Orientem spectantibus columen et antemurale semper fuisse.

Haec verba etiam hodie ex ore catholicorum Polonorum iuvenum prodeunt. Quo fini, omnes iuvenes societati Actionis Catholicae dediti, vistigia insuper academicorum qui duobus annis antea totos se B. M. Virgini dederunt, sequentes, ingenti numero circiter 100.000 in oppidum Częstochova clarissimum ex imagine miraculosa B. M. V. Reginae Polonorum, advenerunt.

Aedificare Poloniam Christi — en ratio, quae iuvenilem animum excitabat.

In regia sede B. B. Virginis Reginae Poloniae visi sunt purpurati Patres Ecclesiae: Card Al. Kakowski et Card. Augustus Hlond, Primas Poloniae; circiter 30 Archipiscopi et Episcopi et ingens multitudo fidelium, qui orationibus suis iuvenes in exquendis promissionibus adiuvabant.



Em. Cardinales: Augustus Hlond et Al. Kakowski.

Sanctissimus Dominus corde et animo conventui iuvenum adfuit. Insuper in Epistola a se missa adhortabat SS. Pater iuveniles Christi asseclas, praescribendo eis programma laboris in tempus futurum, quae verba exhortationis bonos fructus assecutura esse non sine causa sperabatur. Iuvenes enim non verebantur suum erga Christum amorem ostendere, non solum in Ecclesia sed, quod speciali animadversione meretur, in spectamentis et publicis orationibus.

Haud parvi momenti pro vita adolescentium ad pedes B. M. Virginis provolutorum fuerunt vota hoc in sanctuario ab eis emissa:


„Maria, Sanctissima Christi Regis Mater, et Regina Regni Poloniae! En nos intrepidorum sanctae fidei confessorum filii, nos Crucis et Patriae defensorum posteri, iuveniles Christi milites e tota, ante Tuum Częstochowiense solium congregati Polonia, sub vexillis Catholicae Societatis Iuvenum honorem Tibi debitum praestantes, declaramus, promittimus et vovemus:

Fidem catholicam in corde fovere atque firmiter profiteri...

Filiali nos caritate ac obsequio ad Sanctam Catholicam Ecclesiam se referre, sanctamque nobis semper fore tum personam tum voluntatem tum doctrinam Summi Pontificis, in quo Vicarium Christi veneramur...

In aedificatione Regni Christi per Actionem





Catholicam adlaborare et imprimis in manipulis societatis Catholicae Iuvenum pro victoria spiritus Christi in Polonia et toto in orbe terrarum operam dare et decertare.

Promittimus et vovemus, munera professionis et conditionis nostrae fideliter explendo, ruri, in urbibus, in fabricis Poloniam Christo addictam, Poloniam catholicam aedificare, principiis iustitiae et caritatis socialis inniam Poloniam pace gaudentem, prosperitatis plenam, miseriis, fame, laboris, aedium que penuria liberam; contagionem communismi, statuumque contentiones invidiam socialem, perversas opiniones, atheismum, neopaganismum contra Ecclesiam certamen e Polonis finibus amovere...

Fideles nos et addictissimos Reipublicae Polonae cives, libentissime pro felicitate, securitate, opulentia, eius laboraturos esse. In theoria et praxi fautores nos et defensores moralium principiorum vitae publicae manere... Omnes nos in necessitate Reipublicae usque ad unum pro eius finibus et existentia ad arma paratos esse... pro adeptione nostrarum idearum laborare, nos offerre, pati sub Tuo praepotenti praesidio, Mater et Sanctissima Domina nostra.

Sic nos adiuvas Christe Dive et aeterne Rex noster, et Tu Sanctissima Regni Poloniae Regina. Amen.

Maxima cum laetitia tronum Reginae suae reliquerunt iuvenes, et sua in domorum septa reversi sunt, quia vires suas per Eam Christi operibus dedicaverunt.

De ratione agendi communistarum cum iuvenibus

Scholae in imperio Russo, etsi ineunte s. XX. vegetius floruerunt, attamen notabilem evolutionem non manifestabant. Anno enim 1914 fuerunt 122.123 scholae oppidanae cum 8.146.637 discipulis, scholae mediae 797 cum 240.910 disc. puellaeque in scholis a. 1915, 323.577 numerabantur. Praeterea supra 100 scholae superiores fuerunt cum 150.000 studentium, in quibus 50.000 puellarum.

Temporibus dictaturae communistarum id agebatur, ut status rei scholasticae cum eodem ex a. 1914 aequaretur: qua tamen in re, ut evolutio hac tendentiis communismi responderet, summa vi opera dabatur. Causae autem quibus stimulabatur erant duae: desiderabantur periti scientiae machinariae, necessari ad evolvendam industriam, itemque desiderabantur cultiores communistae idonei, qui officia imprimis in magistratibus atque in exercitu obirent.

Neque obliviscamur ab a. 1917, 21 iam annos praeteriisse, et si pueros decem annorum prae oculis habemus, educatione et instructione scholastica pueri ab a. 1907 nati comprehendentur: quae cum ita sint, omnes hodiernos communistas infra 30 an. natos, iam exclusive methodo communistarum educatos atque instructos esse, dilucide apparet. Quibus etiam nulla occasio dabatur, ut vitam in Russia cum vita in aliis terris conferrent, quia nec aliam vitam, neque aliam scientiam praeter communisticam noverunt.

Quorum animi ingeniique cultus in dialectica materialismi clauditur, dialectica marxismo innixa, ad vitae usum in Russia a Lenino accomodata, denique a Stalino „correcta“.

Quam ob rem neque sciunt existere posse alium vitae modum, quam qui sibi praescribatur. Cumque doctrinae communismo oppositae fines Russiae

penetrare non possint, omnes iuvenes „sapientiam“ in Russia natam et aprobatam animo atque cogitatione complecti coguntur, ubi ignorantia magistrorum scholarum similem in orbe terrarum nescit, ubi magistri vacillant persaepe in primis rudimentis a se traditae scientiae, ubi scribere sine errandi periculo singularis ars habetur et raro a toto corpore magistrorum alicuius scholae possidetur, ubi scrutari scientias alias quam marxismum rabellio habetur, ubi religio Divini Numinis cum Stalini idololatria commutatur, ubi nec sentire, nec cogitare, nec audire, nec legere aliquid licet, quod non placeat Kominterno, ubi alios observare et speculari ac deferre commune officium existimatur, ubi unica via ac ratio acquirendae ac demum aliis tradendae scientia est s. d. „diamat“ i. e. dialectica materialismi, quae non examinata verane an falsa sit, saepissimeque non intellecta ad omnes doctrinas accomodatur, ubi professoribus universitatum custodes, rudes scientiae communistae attribuuntur, qui corrigunt ex. gr. mathematicos, quasi eorum praelectiones doctrinae Marxi adversarentur, ubi ratio propagandi ubique communismi maximum oficium habetur, ubi extrema servitus unica lex est, ubi iudex ignorat leges, ubi licentia Kominterni suprema lex est atque de vita et morte 75.000.000 servorum decernit. Cui scientiae, rationi civili, sensui sociali subicitur hodierna Russiae iuventus.

Prae oculis habeamus exemplar communistici diarii „Izwiestia“ de d. 6.IX. h. a. ubi primo loco laudatur iuventus Russa atque specialis eius cura. Hanc, sperant communistae, sustentaturam esse regimen communisticum disseminaturamque ideam communismi toto orbe terrarum. Inde crebri concursus iuventutis comm. inde ductorum comm. stipendia, inde interposita causa, religionis, amoris patriae, nationalismi, modo sanguinolenta manu iuventus capiatur.

Cum aetate provectioribus res difficilior evadit. In iuvenes autem missum est rete congruenter ad praecepta Lenini, Stalini, Mołotow, ad instructiones cynici Dimitrov, ut communismo conciliaretur aetas minorennis, quae cras rerum potietur in nationibus suis, viamque parabit dictaturae classis proletariorum.

Iuvenes sunt hodie propagatores communismi et praecones fidei in „paradisum“ communisticum. Qui nesciunt vitam aliarum nationum, praeterquam quod ubique nationes gravissimis conditionibus atque penuria premantur, solumque fines Russiae copia omnium rerum abundent. Quae methodus impudentium mendaciorum atque cynismi haud unum communimo ad propagandas ideas suas iuvenibus uti constituerunt. Iuvenes vero in actione sua ad directivas IV internationalis conventus sese converterunt, qui ultimis temporibus convenientibus huic fini proclamationibus omnes fere civitates obruit.

Memoria teneo, quomodo egerit Sobelsohn, hodiernus Radek: discipulus olim scholae mediae Tarnoviae in Polonia, vesperascente caelo finitima Tarnoviae oppida, ubi scholae mediae erant, obibat, pravas ambitiones condiscipulorum alebat, genere iocandi obscoeno oblectabatur, ad vitam voluptatibus deditam eos hortabatur, religionem et scientiam deridebat, quo genere agendi ad tempus fautores sibi conciliabat.

Etiam temporibus nostris varii Sobelsohn‘es fere eadem via voluptatum, odii in praeceptores, contumaciae in parentes, contemnendae disciplinae scholasticae, deridendi omnes et omnia, causas animi iactationum serunt in animis adhuc crudis firmisque persuasionibus nondum adiutis.

Quidam in re publicae instructionis in Polonia bene meritus, interrogatus, in quibusnam circulis discipulorum venenum communisticum praecipue appareret, maximam partem admiratorum communismi Iudaeos constituere, respondit, cui ab iisdem propagato adhaererent persaepe ingeniosissimi disci-

puli, quibus, cum scientia in scholis tradita utpote nimis facilis non sufficeret, omne quod eis novum accideret, captandum esse videretur. Intra quos agere apostolos communismi, imprimis pretio conductos Iudaeos, quibus omnes aditus paterent. Quid mirum, finivit, si etiam societates religiosas penetrarent, nonnumquam eorum regimen manibus tenentes?

Secundum relationes ephemeridum communistarum iuvenes in Russia felicissimi sunt omnium in mundo. Contra qua, qui Rusiam viderunt, aiunt, similiter ac cum agricola Russo scelestissime actum esse cum pueris qui vix nonum annum vitae attigerint, intra quos iam degenerati, rerum novarum molitores, athei, fures, parentum suorum delatores inveniantur.

Possumusne non credere Siemaszko commissario publicae salutis in Russia, qui coram omnibus — „omnia nobis ignosci possunt" — exclamavit — „praeterquam quod in pueros commisimus".

Sed simul cum laudibus aetatis in Russia natu minoris, horrorem excitantia de eadem legimus. Secundum enim notitias ephemeridum Sov. supra sexagies centena milia liberorum a. 1921-2 per oppida et vicos circumerrabat, fame et frigore morientium cum copia cibi deesset. Quod a. 1932-3 iterum accidit, quando fere tricies centena milia filiorum agricolarum necatorum ob resistentiam collectivismo vagabantur. Quae turbae minorennium mendicantium, furantium, morbis affectorum liberorum immensa spatia Russiae peragrabant fame morientium in civitate, quae a. 1913 in productione tritici primum in mundo locum obtinebat (279, 683, 266 q. i. e. 25% productionis totius mundi) at nunc non habet, unde liberos suos alat! Quorum qui supervixerunt validam formant manum opem ferentem communismo.

„Sinite discam per quattuor annos liberos — aiebat Lenin — et semen quod seminabo numquam delebitur". Verba haec iam ad rem adducta sunt.

Iuvenum enim auxilio propagatur hoc dirum venenum in omnibus nationibus, adducereque debet ad bella civilia, per quae in ruinis olim florentium civitatum dominabitur mundo dictatura proletariorum. Ad quod assequendum impenditur. Sufficiet afferre in Sola Britannia huic fini 100.000 librarum Anglicarum quocumque anno solvi, ubi tamen communistae in 121 localibus societatibus vix aliquid supra 4.000 numerentur. Fieri potest ut sint numerosiores, cum diarium „Wyzwanie" in 20.000 exemplarium typis edatur, nisi similiter ac „Russia Today" gratis donetur.

Sed audiamus Britann. Meriel Buchanan, quae Russiam peragravit at nunc Londini moratur, quaeque advertens ad ea, quae Dimitrov in VII congressu III internationalis conventus dixit, omnium sociorum esse vias ac methodos invenire quae communismum adiuvarent in excogitando novo genere societatis puerorum in civitatibus capitalistarum, scribit: „Constat a gubernio Russo quocumquo anno 100.000 libr. angl. ad propagandum communismum in Britannia impendi cuius auri magnam partem erudiendis iuvenibus destinari.

„Societas instruendis operariis" sectio Internationalis Societatis instruendis operariis, a. 1922 in Britannia condita est ad propagandum communismum in scholis Brit. qui etiam inde crevit, numerum fautorum auxit, magnosque successus in hac infausta opera assecutus est, cuius finis est animos iuvenum in devia adducere".

„A tempore quo Societas iuventutis communisticae numero sodalium crevit attentione dignum articulum constitutionibus suis inseruit quo filiam ésse Internationalis Conventus Comm. i. e. sub immediata custodia Moscoviae manere aperte declaravit. Etiam varii motus pacifistici in corrumpendo iuvenum animo, ut ad pugnam cum pristino ordine praeparetur, dolose adlaborant".

Ut iuvenes sibi concilient, etiam fautores Trockii s d. IV. Internat. Conv. in omnibus civitatibus enixe curant, quorum in proclamationibus ubique sparsis legimus: „IV Internat. Conventus animum imprimis ad pueros filios proletariorum refert. Omnique actione sua ad id tendit, ut iuvenes fiducia in propriam vim imbuat. Solummodo enim alacritate et virtute bellica iuvenum victoriae reportantur, solumque his victoriis optimus quisque natu grandiorum ad res novas moliendas incitari possunt."

Quae omnia supra allata fidem mereri mundiali congressu iuventutis, mense Augusto Neo - Eboraci habito, confimantur, ubi quomodo cum communismo collaborandum esset, exactissime docebatur.

Quodsi ita se res habent in Anglia, Gallia, Helvetia, Belgia, Batavia, quae dici possunt de Praha Bohemorum et Hispania Comm.? A communismo petitur Nippon, China, Indiae, Africa Merid., Foederati Status Am. Sept., ubi praecipue evolutioni communismi magnus numerus (circa 13,000.000) opera carentium operariorum favet, Australia, Canada, Nova Zelandia, ut omittamus civitates Europae. In Mexico etiam speciali tutela gubernii fruitur.

Ubique autem primo loco allicit aetatem maturescentem, e cuius gremio lecti propugnatores destruere e medio debent singulos civitates, simulque de omnibus quae accidant docere Kominternum.

Non miremur igitur a pluribus guberniis civitatum, ad quos pertinet Polonia, Portugalia, Germania, Helvetia, Hispania Nat. Nippon, Finladia, Bolivia, Chili, Argentina multaeque aliae, severissimas leges contra communismum versas latas esse.

Civitates autem quibus Russia amice utitur a Kominterno funditus evertuntur, a quo etiam Galliam infauste instrui, quis non videt? In qua terra augmentum iuvenilium fautorum communismi specialem mentionem meretur: anno enim 1937, 85,500 communistae iuvenes numerabantur. Et hoc incrementum ipsius gubernii opus est, quia „equum Troianum" specie auri, quod communistae ad disseminandum communismum in diariis et ephemeridibus impendunt, in Galliam induci permisit.

Attamen iuvenes in ipsa Russia non contenti iam parco cibo, quo ab infantia alebantur, cogitare atque investigare incipiunt, iamque vita, litteris, arte, quae solummodo Marxismum sapiunt, non satiantur. Ad internationales congressus missi, monstruosa de vita aliarum nationum enarrant, vident tamen „felicitatem" paradisi communistici longe distare a „miseria" mundi possidentium atque nummatorum.

Unde facile mens ipsa rebellatrix exoritur.

Dr Wl Wl.

Ave, gratia plena, ave, ommnium simul finium terrae communis salus, omniumque Christianorum praesidium, Ave, gratia plena, ave, quae sola auxilio ades, qui auxilio carent, solaque maxima virtus es illis, qui nullis viribus valent. Ave, gratia plena, ave,sola humilium celsitudo, et inopum sola recuperatio, solaque orphanorum mater, pauperumque ac viduarum. Ave, gratia plena, ave, sola fatiscentium reforcillatio, solumque tegmine carantium tegmen. Ave, gratia plena, ave sola captivorum redemtio, solaque exsulantium pulsorumpue revocatio. Ave, gratia plena, ave sola aegrotantium visitatio, solaque infirmorum curatio, et eorum qui a daemone vexantur, salus. Ave gratia plena, ave sola novigantium gubernatio, solaque eorum qui noctu iter agunt, viae comes, et sodalis. Ave gratia plena, ave, quia nostrum omnium oculi in te quae sola pura es, spem collocant, et te semper contuentur. Ave, gratia plena, ave, quae nobis semper humillibus praesidio es, nosque ab omni ira iusta et comminatione eximis. Ave, gratia plena, ave, quae semper custodis et lustrado foves egenum genus nostrum a tentationibus, periculis, variisque calamitatibus"

S. Joannes Damascenus

CHRONICA

CIVITAS VATICANA

Oratio Patris Sanctissimi ad opifices Francogallos habita. Papa Sanctissimus, cum se in villa, cui nomen est Castel Gandolfo — adirent peregrini Societatis Syndicatorum Christianorum Opificum, huius modi orationem exorsus est, lingua peregrinorum usus: Prudentissime id a vobis actum est, cum ea principia vobis statuissetis, aliena a pervulgato errore, quo praedicaretur non nisi singulorum commoda prae cunctorum fortuna esse habenda. Repugnant haec etiam Ecclesiae atque opinioni. Neque tamen contrarium doctrinae cedi iudicium comprobatur eorum, qui putent omnia singulis civibus, nihil universae civitati esse vindicandum. „Aurea mediocritas" est, qua omnis virtus constet, — extra citraque eius fines rectum inveniri non potest. Opinio, quam Ecclesia propagat, rectam statuit rationem, qua singulorum commoda et cunctorum salus secum conferuntur. Haud dubie singulis hominibus opus est aliorum societate, ut et vivere et augeri et vivendi usum instituere possint. Societas tamen quaelibet hominum nisi per singulos societatis addictos officia sua praestare nullo modo potest. Ubique nunc aliquantulum de re publica totali praedicatur: sine rei publicae usu nihil agatur, omnia ad rem publicam deferantur. Maximi id erroris est. Quomodo enim res publica vere totalis sit, omnia singulis praebeat, quae ad sanciendas atque confirmandas animas immortales attineant. Id argumento est non posse a re publica civibus plures eaeque maiores res suppeditari idque in hac humana atque caduca vita. Quid si vitam immortalem, quae in coelis nobis est destinata, spectemus? Si quidem exstarent omnino totalia, quae dicuntur vitae hominum et rei publicae instituta — totali re et iure, quae nuncupari possent, — haud dubie haec instituta exercenda essent. Humana enim natura tota Ecclesiae debetur, nam homo quidem Dei opus apparet, Deo quidem inservit, vitae humanae destinatur, ut hic nisi Deo illic in coelis nisi cum Deo vivat. Principia autem et praecepta divina penes solam Ecclesiam sunt. Itaque iure quidem ab hac Ecclesia divina postulari possit, ut praeceptis suis singuli et universi oboediant: hominum genus enim totum Ecclesiae debetur, nam omnes Deo debentur. De hac re ne dubitari quidem potest, si nolumus omnia negare omniaque repudiare.

Novus Praefectus Congregationis Sancti Officii electus est. Die sexta Novembris hoc anno Romae eminentissimus Cardinalis Laurenti diem supremum obiit, praefectus Congregationis S. Officii, septuagesimum septimum annum agens. Eo successit Cardinalis Salotti a S. S. Patre Pio XI nominatus Novus Praefectus prope per totam vitam in Congregatione S. Officii versatus est. Brevi solum tempore officia Secretarii Propagandae Fidei praestabat, deinde autem ad Collegium S. Officii acceptus est, ubi advocati muneribus fungebatur in Sectione, cuius proprium est de beatificandis et canonisandis agere. Tum vicarius Promotoris Fidei et postremo ipse Promotor creatus est.

Quid Pius XI de re missionaria dixerit? Sanctissimus Papa Pius XI de re missionaria cum congregationum officiis coniuncta haec docuit; cum sorores quaedam coenobiticae se adirent: se ipsum, cum in Polonia moraretur, quoddam coenobium invenisse, quod nullis fere alumnis renovaretur; itaque antistitibus illius congregationis persuasisse, ut regionem quandam sibi exquirerent, ubi res missionaria exerceri posset; et inventam esse regionem rei missionariae difficillimam. Reapse coenobia huius ordinis iam multo plures alumnos adire coepisse. Tum exposuit Papa sanctissimus rem missionariam in primis iisque summis Ecclesiae officiis esse numerandam; etenim Christi ipsius opus veram missionem fidei et religionis fuisse. Re missionaria ea contineri, quae iam fuerint, quae nunc

fiant et quae futura sint. Fidei propagationem maximi nunc momenti esse. Paratum iam orbem terrarum esse, ut religionem Christianam acciperet. Id vel eo probari posse,quod plures missionarios vires deficiant, ut omnes, qui se adeant, tutela amplectantur.

AMERICA

Excellentissimus Cardinalis, qui „Misericors" est appellatus, vita decessit. Primis diebus mensis Septembris archiepiscopus Cardinalis Joseph Hayes, dioecesi Nev-York praepositus diem supremum obiit. Itaque cum Sanctissimus Pater Pius XI de eius morte certior factus esset, summo dolore est affectus, quod mortuus Cardinalis ab omnibus Ecclesiae principibus vir excellentissimus et maxime strenuus habitus est. Omnes quoque eum misericordissimum episcopum censebant, quoniam semper pauperrimis suae dioeceos fidelibus auxilium ferebat. Tum quoque auctor fuit, ut illae notissimae „caritatis Societates" in urbe Nev-York constituentur — quaeque ad hunc diem florentissime vigent. Itaque Curiae Romanae antistites vocare illum (Cardinalem,) dum viveret, „Cardinalem Misericordiae" solebant.

Archiepiscopus Americae fideles suae dioecesis cohortatur, ut religionem Christianam inter Aethiopes (nigros) propagent. Archiepiscopus dioecesi, quae Cincinnati appellatur, praepositus litteras ad fideles suae dioeceseos misit, quibus eos hortaretur, ut inter Aethiopes praecepta fidei Christianae propagent. Tum quoque exposuit, repudiandam esse eorum opinionem, qui putent, nigros Aethiopes inferiores ac deteriores homines esse quam omnes ceteros et propterea minoris ducendos esse. Itaque omnes vere Christiani catholici Aethiopum animos secundum Christi praecepta conformare debent, quoniam hoc modo illi miserrimi „Nigri", qui tot iniurias plurimis annis perpetiebantur, remunerabuntur.

Congressus, qui in America contra alcoholismum habitus est. In urbe Detroit sexagesimus septimus congressus antialcoholicus celebratus est, qui cura „Catholicae Societatis contra Alcoholismum" constitutus erat. Cui interfuerunt omnium Civitatum Americae Confoederatarum legati. Praeses illius Societatis iterum reverendissimus Coonahan electus est, qui ad salutem societatis plurimam operam dedit. Catholica Societas Antialcoholica in Americae Septentrionalis Civitatibus anno 1861 a reverendissimo sacerdote O. Matheu. constituta est.

Quid minister Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis de religione ac fide professus sit. In Wallia, Britanniae notissima regione, dies religiosi sollemniter celebrati sunt; quibus interfuit etiam Americae Septentrionalis ad Belgarum regem legatus — F. Davies. Qui vir illustrissimus huius modi orationem habuit: „Religioni homines inimici omni modo enituntur, ut fundamenta religionis Christianae evertant. Pro Christo — auctore religionis vivo et vigente sunt, qui cupiant idola a se ipsis efficta ponere; sunt etiam, qui proclament religionis nostrae dogmata, quibus omnis morum philosophia constat, quaeque ad cultum vitae humanae plurimum profecerant, carere omni pondere et momento. Quibus erroribus opinionem nostram et fidem opponimus. Falsa haec certe sunt. Credimus enim verum Deum esse, optime tenemus Christi cruciatus irritos nunquam fuisse ac fore. Itaque asseveramus rem publicam humanis rebus postponi neque anteponi debere.

***525* viri, qui ad religionem Christianam animos converterunt, uno die sacramento confirmationis affecti sunt.** In notissimo oppido Americae Septentrionalis, quod Brooklyn nuncupatur, singularis dies festus celebratus est. Nam uno die 525 viri, qui fidem Christianam professi sunt, in sacramento confirmationis Spiritum Sanctum acceperunt. Cui tam praecipuo festo interfuerunt 150 sacerdotes atque plurimi fideles. In his sacris perpetrandis habuit orationem, quae ad hunc diem festum pertinebat, episcopus Hunt, unus episcoporum Americae, qui fidem catholicam

posteriore tempore suae vitae professus est.

Prima peregrinatio religiosa ad sancta Mexici loca ab Americanis facta. Ultimis diebus Septembris ex urbe Los Angeles Vicario generali comitante ac praesidente fideles Americani loca sancta in Mexico sita visitatum ac salutatum adierunt. Anno praeterito archiepiscopus dioecesis Los Angeles praepositus, reverendissimus Cantcwoll sollemniter statuam Matris Dei in locis Guadelupe coronavit. Eamque „Reginam Americae" appellavit. Quibus diebus festis interfuere plus quam 70 millia peregrinatorum religiosorum, inter quos plurimi cives exterarum gentium videbantur.

ANGLIA

Internationalis atheorum congressus, qui Londini celebratus est, a catholicis condemnatus atque hanc ob causam Deus, qui multis conviciis affectus erat, a fidelibus precibus placatus ac mitigatus est. Mense Septembri Londini congressus atheorum habitus est. Omnes homines totius orbis terrarum quibusdam religionis praeceptis imbuti istum congressum summo odio prosecuti sunt atque eius modi obscuros coetus condemnarunt. Ac primum quidem repudiaverunt hunc congressum non solum catholici, sed etiam plurimi protestantes, iique qui neutrius confessionis sunt. Quam ob rem Londini taciturna processio istius taeterrimi congressus condemnandi causa habita est. Cui interfuerunt plurimi fideles. Qua in processione nulla religiosa signa a fidelibus ferebantur neque carmina c a n t a b a n t u r. Tum q u o q u e Sanctissimo Sacramento participes illius processionis tris benedicti erant. In urbe Australiae, cui nomen est Melbourne, in aede cathedrali dies religiosi atque poenitentiae meditationes habiti sunt, ut Deus pro plurimis conviciis in eum iactatis mitigaretur placareturque. Quae omnes preces a sacerdotibus et fidelibus adhibitae id praecipue spectabant, ut athei iique, qui huic congressui foverunt, ad veram Dei fidem converterentur suosque errores abiicerent. Dum autem meditationes fiunt, publice dictum est: „Nunquam putabamus eiusmodi internationales coetus ipso in capite Britannorum fieri potuisse, quoniam semper optime tenebamus civitatem Britannorum semper Deo vero fidelem fore.

Catholicus congressus „De pace". Aliquot annos abhinc viget constituta catholica societas, quae id agit, ut diversis in civitatibus congressus, in quibus de pace agatur, celebrentur. Cui tam utilissimae societati praeest episcopus suffraganus archidioeceseos Londinensis (Westminster) reverendissimus Eduardus Myers. Atque eius modi congressibus intersunt tum excellentissimi viri clerici cum nobilissimi catholici saeculares. Postremo huius modi consilium habitum est diebus 13-22 Septembribus Hagae.

BELGIUM

Quod donum S.S. Papa Pius XI a Belgis qui Actis hodiernis praesunt, acceperit? S.S. Papae Pio XI paulo ante Belgorum legati, qui societati scriptorum Actis hodiernis studentium praesunt, ab Illo amicissime accepti 275 milia francorum obtulerunt. Pro hoc tam benefico et benigno dono Sanctissimus Pater grates quam maximas egit, tum vero omnia fausta laetaque universo Belgorum populo precatus est.

GALLIA

Francogallicus Cardinalis clipeo militari ornatus est. Nuperrime in Francogallia pro singulari fortitudine ac virtute, quam in acie praestitit, ornatus et insignitus est amplissimo clipeo militari adiutor tribuni militum nonagesimae quintae legionis copiarum pedestrium praefectus, — qui nunc „maior" dicitur, — Piere Paul Marie Gerlier. Qui quidem illustrissimus vir nunc Cardinalis et Archiepiscopus Lugduni est. Hic animadvertendum est nummo militari in Francogallia solum excellentissimos fortissimosque viros ad hunc diem ornatos esse.

GERMANIA

Numerus adolescentium, qui studiis theologiae vacant, quotannis crescit. In ultimis Statisticae Actis Coloniae in lucem prolatis legimus postremo tempore multo plures adulescentes studiis theologiae vacare. Itaque anno 1931 praeceptis theologiae 4.535 studuisse, anno 1932 — 4.864, anno 1933 — 5.116, anno 1934 — 5.591, anno autem 1935 — 5.788.

Liberi, qui in scholis Publicis Germaniae discunt, religionem Christianam in numero 90% confitentur. In Actis Publicis Germanae Statisticae legimus omnium liberorum, qui publicas Germaniae scholas frequentent, 99% religionem Christianam confiteri, numerum autem eorum, qui tantummodo Deum esse credant, 0,43% attingere.

In quibus religionibus magistri Germaniae versentur. Ex ultimis Statisticae Actis Germaniae comperimus 62.368 magistros catholicam fidem profiteri, 116.800 protestantes, 2.028 declarasse se neutrius religionis studiosos esse, tamen Deum solum esse credere.

Parens episcopi sacerdotium est consecutus. Episcopus Dioecesis Strassburgensis praepositus X. Ortello patrem consecravit. Hic vero episcopi supra commemorati pater, quoniam quinque annis ante uxorem amissit, tum litteris sacris operam navavit et hoc pacto sacerdos creatus est. Cui tam mirum in modum facto sacerdoti et viro annis iam provecto munera capellani militaris in finibus imperii Gallici, qui linea Maginota appellantur, commissa sunt.

HUNGARIA

Quomodo Hungari Sanctum Stephanum coluerint atque honoraverint? In oppido, quod Szekesfyervar appellatur, veterrima sede regum Hungariae, legatorum consilium publicum civitatis principe adm. Horthy praesidente habitum est. Quo in concilio senatores id solum spectabant, quomodo sanctus Stephanus publice honoraretur, qui regni Hungarorum princeps auctor extitit, quique gentem Hungaram ad veram Christi religionem adduxit. Itaque illi legati decreverunt, ut dies festus Sancti Stephani XX Augusti sollemniter publice ab omnibus Hungariae civibus celebraretur.

Statua Beatissimae Mariae Virginis Budapestis exstructa est. Die nativitatis Beatissimae Mariae Virginis signum Matris Dei detectum ac consecratum est in quadam ara Budapestarum. Consilium illius statuae aedificandae a senatoribus Budapestarum captum est.

ITALIA

Cum de quadam sancta puella beatificanda ageretur, eiusdem interfector testimonia dedit. S. Officii Congregatio rogavit nuperrime, ut secundum ritus praecepta inquireretur, an Maria Goretti, puella quidem annorum duodecim



villula Corinaldo in Italia oriunda, beatificanda esset. Ipsa autem omnium fratrum sororumque suarum maxima natu fuit. Itaque dum mater sua domo abesset, sola omnes res domesticas et liberos natu minores diligentissime curabat.

Tum quidam nequissimus et libidini deditus homo vim ei inferre cupiebat. Virgo fortissima vim istius hominis omni modo repulit, multa vulnera tulit et denique sub scelesti cultro animum effudit. Sed in hospitio etiam eum, qui se interemit, indixit Deumque oravit, ut sui interfector in gratiam Dei rediret. Itaque illius parvulae fortissimae virginis laus et gloria continuo crescit ac dilatatur, sepulcrum eius plurimis floribus ornatur, quod multi peregrinatores religiosi undique adeunt. Cum nuperrime de Maria Goretti beatificanda ageretur, id quod nunquam antea contigit. Namque illius sanctae virginis interfector — post triginta sex annos vinculis liberatus — apparuit et ante postulatores Congregationis S. Officii professus est, ubi et quomodo suum maleficium admisisset. Iam vero testimonium, quod iste sceleratus dedit, ad illam sanctam virginem beatificandam plurimum valebit.

Signa crucis castris militaribus tradita sunt. Archiepiscopus urbis Aquilae in Italia sitae consecravit magistratibus et militum praefectis praesentibus 300 signa Christi crucifixi, quae in castris militum collocarentur. Quae quidem crucis signa cura et sumptibus mulierum catholicarum empta sunt.

Quadringenti iam anni sunt praeterlapsi, ex quo sanctus Carolus Boromeus natus est. Hoc anno — quadringenti iam anni praeterierunt, ex quo sanctus Carolus Boromeus natus est. Quam ob rem Mediolani celeberrimi dies religiosi sollemniter celebrati sunt. Praeterea eodem loco in festo Nativitatis B. Mariae Virginis congressus catechistarum habitus est.

Romae novae catacumbae detectae sunt. Ad viam Romanam, quae „Latino" dicitur, reliquiae antiquarum catacumbarum inventae sunt. Quamquam haec antiqua monumenta extra fines Civitatis Vaticanae exsistunt, tamen secundum pactionem Lateranensem Sedi Apostolicae obtingent.

JUGOSLAVIA

Scriptura sacra in linguam Tsiganam conversa est. Paulo ante in Jugoslavia sacra Scriptura in linguam Tsiganam conversa est. Cum primum quaedam fragmenta translatae illius sacrae Scripturae Tsiganis perlecta sunt, multi eorum ita vehementer commoti sunt, ut lacrimis contineri non possent alii autem, cum finis legendi est factus, saltare gaudio coeperunt.

LITHUANIA

Congressus catholicae iuventutis in Lithuania. In capite Lithuanorum, quod Kowno dicitur, biduo congressus catholicae iuventutis rusticae, cuius participes societati, quae, „Pavasarininkai" appellatur, adscripti sunt, habitus est, cui plus quam quadraginta milia iuvenum interfuerunt.

LUSITANIA

Verum Lusitaniae lumen. Princeps ac moderator Lusitanorum universitatis studiosorum, qui participes Actionis Catholicae sunt, cuidam viro, qui muneribus scriptoris nuntios varios mittentis in quadam ephemeride Londini fungitur, haec verba fecit: „Ad animos nostrorum civium in doctrina Christiana renascendos ac renovandos confert et iam contulit haud dubie ille vir, (Salasar) nostram civitatem nunc regit, quique sanctissimum Eucharistiae Sacramentum cotidie sumit.

Lusitaniae naves cum signo crucis mari iter facient. Omnes classis Lusitanae naves iussu imperii maritimi signa crucis linteis velorum impressa acceperunt. Quae vero crux rubri coloris similis est illi cruci, qua media aetate milites causae Christianae propugnatores usi erant. Acta hodierna commemorant cum tali signo naves illius notissimi vectoris et novarum terrarum inventoris Vasco de Gama vectas esse. Itaque hoc decretum aptissime antiquis maiorum moribus congruit.

RUSSIA

Institutio atheica publice a Russiae moderatoribus in scholas inducetur. Initio anni futuri 1939 in omnes scholas Sovieticas institutio atheorum neces-



Il. Vat.

sario introducetur. Itaque plurimi magistri illius institutionis in Publico Ludo educantur, in quo magistrorum ingenia secundum atheorum praecepta conformentur.

227.00 athei in Moscuae regione inveniuntur. In Actis Statisticae allatum est Societatem atheorum, qui palam atque per fas et nefas sua praecepta propagant, die I. Augusti 1938 in Moscuae regione 277 millia participum explevisse, quo in numero 77 millia feminarum sunt.

Interdictum est clero per Russiam migrare. Rempublicam Sovieticam gubernantes nuperrime edixerunt, ne quis sacerdos aut clericus, qui in Orientis partes venire vellet, per Sovieticas regiones iter faceret.

Idem quoque in monachissas et catechistas valet. Itaque Sovieticae reipublicae legati iussi sunt nulla itineraria, qua ita dicuntur, visa huius generis personis tradere.

Multum auri ad rerum eversionem vi perficiendam expensum est! Ut in Actis Publicis Mensae Nummariae Sovieticae, q. v. „Gosbank", legitur — ad hunc diem inde ab anno 1933 ad res universas vi evertendas variis in gentibus 3 billiones 307 milliones aureorum a regimine sovietico expensa sunt.

* * *

Singularis processio cum Sanctissimo Sacramento. Olim nonnullis in civitatibus mos erat, ut processionibus viri multi equis currentes interessent. Tum vero plurimi, homines longo agmine cum sacerdote, qui Sanctissimum Sacramentum ferebat, inter agros, prata



domosque procedere solebant. Primo in ordine signum crucis ferebatur, deinde autem signa religiosa portabantur. Atque eius generis dies festi celebrabantur propterea quod homines tum Deum implorabant, ut suos agros, equos bovesque peste morbisque gravibus liberaret. Itaque tales processiones instituebantur in Francogallia die festo Sancti Eligii, in Belgarum civitate — die festi sancti Guidonis, in antiqua Austria in Christi Resurrectione, tum in urbe Tivoli — in Italia, in Helvetia multisque aliis civitatibus. Hic tam nobilis mos usque ad hunc diem permansit in Helvetia, ubi quotannis in regione, quae Lucerna dicitur, eius modi processiones equinae celebrantur. Homines, qui eiusmodi processionibus intersunt, singularibus privilegiis afficiuntur, quae a Patribus Sanctissimis Benedicto et Pio XI anno 1924 decreta sunt. In hac imagine videmus: Benedictionem Ssmi Sacramenti et fragmentum illius equinae processionis.

SUMMARIUM

Ab Administratione

„Miles Immaculatae" hoc anno tertio quoque mense typis editur.

Pro expensis editionis atque expeditionis quidquid oblatum erit accipiemus. Norma tamen praetii annuae subnotationis 0.65 fr. helv. (4 lirae ital.) habenda est. Praetium unius fasciculi: 0.16.5 fr. helv. (1 lira italica). In Polonia praetium annuae subnotationis 0.50zł— unius fasciculi 0.12 zł.

Omnibus tamen, qui praesertim in terris missionum nec minimam oblationem dare queant, „Miles Immaculatae libenter gratis mittetur; qui autem, quo efficatius evolutionem „Militis Immaculatae" foveant, plus offerre desiderant, id gratissimo animo acceptum iri, sciant.

„Miles Immaculatae" in divina per Immaculatam Virginem providentia futurae evolutionis spem ponit.

Oramus insuper omnes, qui a „Milite Immaculatae" aliquid boni provenire posse sperant, ut inter alios periodicum istud propagent.

In sequentibus nationibus oblatio nostro nomine mitti potest: **America Meridionalis. Banco** Polaco, Polska Kasa Opieki, BUENOS AIRES, c: Tucuman 466, Konto Nr. 10.300. **Belgium:** Postcheckambt BRUSSEL Nr. 324554. **Cecoslovacchia:** Postovni sporitelna PRAHA Nr. 59606. **Dania:** Postgirokontoret KOBENHAVN Postkonto Nr. 14924. **Gallia:** Bureau de Chèques PARIS Nr. 1655.93. **Hungaria:** Scheckkonto BUDAPEST Nr. 13.899. **Jugoslavia:** Caisse d'épargne postale BEOGRAD Nr. 66-579. **Latvia:** Bureau de Chèques postaux à RIGA Konto Nr. 4364. **Polonia:** PKO. WARSZAWA, Konto 150.283 **Romania:** BUCARESTI 24.936.

Superiorum et Ecclesiasticae Auctoritatis permissu.

DIRECTOR
P. Maximilianus M-a Kolbe

SPONSOR
P. Pius M-a Bartosik

Directio et Administratio MILITIS IMMACULATAE — **NIEPOKALANÓW** (Wr.) Polonia (Pologne)

Niepokalanów. — Typis „Militis Immaculatae"